

29  
1750, 5<sup>a</sup>  
23  
FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS

JOH. CHRISTOPHORVS  
SPITZ, JCTVS

MEMORATÆ FACULTATIS JVDICHIQVE ELECTORALIS  
PROVINCIALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLI.  
CVS NEC NON CIVITATIS CONSVL

255  
L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII,  
ACAD. TYPOGR.



FACTI TATI INVICIA

ANNO

IOHANNIS CHRISTOPHORI

SCRIPTA

IN MORAVIA...  
PROVINCIALE ASSEROR...  
CIVITATE NON...  
L. H. S.

ERFORDIA

Typis IOHANNIS CHRISTOPHORI HERINGII

1688





**C**um Actor in instituendis actionis suis forum Rei sequi necesse habeat, c. 8. X. de for. comp. L. f. c. ubi in rem act. L. 2. §. C. de Jurisd. hinc leges pro varietate actionum ac personarum varia introduxerunt fora, in quibus Actor actiones suas instituere & Reus legitime conventus respondere cogitur, nisi hic tacendo & emanendo pro contumaci sive pro confesso aut convicto haberi velit, L. 11. §. 4. ff. de Interrog. in jur. fac. l. 67. ff. de re jud. MENOCH. L. 2. pref. 46. n. 2. seq. olim siquidem statutum erat Forum Commune, Roma, verum hoc hodie in causis secularibus quoad subditos imperii nostri cessat, eò quod nostris Statibus superioritas territorialis competat, in quorum dictionibus quilibet subditus conveniendus est, nec absque interposita appellatione aut casu protractæ vel denegatæ justitiæ ad Summa Imperii tribunalia evocari potest; in causis tamen Ecclesiasticis adhuc Romæ seu apud sedem Pontificiam dari forum commune statuunt REIFFENSTVEE ad Jus Can. lib. 2. tit. 2. §. 5. n. 106. seqq. KÖNIG. cod. n. 2. illud autem forum, quod quis sortitur ratione domicilii proprii aut in loco originis ubi Pater tunc temporis fuit legitimus civis, licet filius in transitu alibi fuerit natus, L. 1. §. 1. & 2. L. 6. pr. & §. §. seqq. ff. ad municipal. CARPZ. P. 1. decis. 1. adhuc inviridi extat observantia L. 7. C. de incol. & L. 3. C. ad municip. quamdiu originarius eidem nondum renunciavit, & domicilium aliò non transtulit, hoc etenim factò illud secundum Mores germaniæ non obtinet, neque quoad competentiam, neque quoad subeunda munera, utut maxime in loco originis reperitur. VULTEJ. ad L. 2. C. de Jurisd. n. 22. COLER. de proc. execut. P. 2.

*c. 1. §. 12.* Mater vero hic non attenditur, nisi sint liberi illegitimi, aut civitas materna id privilegii habeat, ut legitime nati sequantur originem Matris *L. 1. §. 2. ff. d. r. quodsi vero* uterque pater nesciatur, ut fit in expositis, pro foro originis habetur locus in quo sunt inventi, nisi & hi aliud accidentale constituerint, quod quis aut necessario habet veluti relegatus & uxor legitima *L. 65. ff. de jud.* aut ex libera voluntate eligit, & quidem vel expresse, si animum in loco quodam consistendi declarat, vel tacite, utpote quod ex circumstantiis colligitur, veluti si jus civitatis impetraverit, potiores res suas illuc detulerit, plenariam rerum suarum administrationem ibidem instituerit, aut longiori tempore, ejus determinatio arbitrio judicis relinquenda alicubi commoratus sit, *MENOCH. de arbitrar. Jud. l. 2. cent. 1. Cas. 86. post. n. 16. MASCARD. de prob. concl. 535. n. 6.* atque hoc forum veri domicilli tam generale est, ut ibi ex quacunque causa civili & criminali, ac qualibet actione reali & personali conveniri possit, esto etiam, quod absens sit vel alibi contraxerit, aut deliquerit, vel res quæ petitur alibi sita sit. *L. 19. §. fin. ff. de Judiciis L. 29. ff. ad municipal.* quoniam in *L. 1. C. ubi de ratiocin.* non negatur, quod Administrator propter administrationem alibi gestam in foro domicilli conveniri valeat, & lex ex lege explicanda est, quod tamen ita intelligendum, nisi alibi jam, ubi scilicet reus ex alio titulo forum sortitur, jurisdictione per citationem reo insinuatam sit præventa, his etenim ibi finienda, ubi cepta est. *C. p. X. de for. compet. L. siquir. 7. ff. de Judic.* præterea Leges foræ specialia ordinaria introduxerunt & quidem aut in loco contractus, aut delicti aut rei sitæ, & primum quidem si quis in alio loco extra domicilium per se, aut per alium vere aut quasi contrahat, vel contraxisse fingatur, eò quod in tali loco se soluturum promiserit, hoc autem ut obtineat, & Reus invitus in foro contractus conveniri queat, necesse est, ut reus ibidem reperiat, aut aliquando in judicio comparuerit vel saltem existens in loco contractus citatione fuerit præventus, licet ex post recesserit, quoniam tunc judicis ipsum citatione præventis jurisdictione non solum circa res, sed etiam personam ejus fundata

fundata est C. 1. §. 2. de for. compet. in 6. L. 19. §. 1. ff. de jud.  
FAGNAN. ad C. 10. X. de for. compet. alioquin sufficit si bona sua  
possideri patiatur, siquidem si contrahens conventus in loco  
contractus non amplius reperitur, nec ante citatione  
fuerit prævntus iudex loci contractus ipsum quoad effe-  
ctum personæ arctativum citare nequit, bene tamen quoad  
effectum missionis in possessionem bonorum ejus, si quæ  
habet, nisi comparuerit d. L. 19. §. 1. ff. de Jud. Cadit tamen  
etiam forum contractus 1. Si inter contrahentes aliter sit  
conventum, 2. in contractu dotis, quia vi hujus uxor do-  
tem non in loco instrumenti contracti, sed in foro domicilii  
ipsius Mariti repetit L. 65. ff. de Jud. 3. Si quis scienter &  
fide de pretio habita cum vero advena ac viatore statim dis-  
cessuro contrahat, is enim in his circumstantiis ibidem, nisi  
voluerit, respondere non tenetur, sed ad forum domicilii  
revocandi jus habet L. 19. §. 2. ff. de Jud. quia ut ratio ibi ad-  
ducta sonat, durissimum est, quotquot locis navigans, vel iter fa-  
ciens delatus est, tot locis se defendere. Atque etiam a susce-  
pto itinere, aliisque negotiis suis magno cum damno impedi-  
retur; secus tamen foret, si talis esset vagabundus, aut pro-  
parata pecunia contraheret, aut se esse advenam negaret, at-  
que discessum suum mox futurum occultaret, tunc enim ta-  
lis in loco contractus recte conveniri poterit. MOLLENBEC.  
ad ff. vir. de Jud. n. 120. Forum rei sitæ obtinet, si Reus bo-  
na in alieno Territorio possideat, tunc enim propter illa si ve  
sint corporalia aut incorporalia, si ve mobilia aut immobilia  
Reus actione reali, mixta aut personali in rem tamen scripta  
ibidem conventus respondere tenetur Cap. fin. X. de for. com-  
pet. L. 38. ff. de jud. et L. fin. C. ubi in rem act. Tandem forum  
delicti statutum est, aut in loco delicti commissi, aut deprehen-  
sionis aut domicilii, communiter tamen delinquens ad lo-  
cum commissi delicti extraditor, ut scandalum per delictum  
commissum datum ibidem quoque per pœnam infligendam  
in emendationem aliorum purgetur, quæ ex traditio olim  
necessitatis erat, hodie plerumque est urbanitatis FR. ad ff.  
vir. de jud. n. 46. Præterea sunt quoque adhuc alii modi for-  
tendi forum singulares & extraordinarii in favorem Actoris

aut Rei aut causæ introducti, de quibus LAVTERBACHII Col-  
 legium tit. de jud. §. 58. seq. REIFFENSTVEL ad Jus Can. tit. de  
 for. compet. §. 5. seqq. ubi latius videri possunt, cum ea de  
 foro ex propria persona competente hic retulisse sufficiat;  
 ex alterius verò persona defuncti heres forum sortitur, ut  
 actionibus in foro defuncti contra hunc radicatis conveniri  
 valeat, & respondere teneatur, licet ex sua persona Jurisdi-  
 ctioni ibidem non sit subjectus, aut heres absens sit, L. 19. pr.  
 ff. de jud. aut judicium non dum cœptum sit, modo tamen  
 bona hereditaria ibi adhuc sint sita, alioqui enim, si heres  
 prædicta bona hereditaria omnia ex foro defuncti in pro-  
 prium suum domicilium transtulisset, in forum defuncti,  
 quod per translationem bonorum hoc casu est extinctum,  
 non amplius citari aut evocari posset, cum si heres citatus  
 non compareat, Facultas Actorem in possessionem bonorum  
 hereditariorum immittendi, judici sic deficiat; sed de hac fo-  
 ri competentia plura jam differere superlegendum, eò quod  
 materiam istam in lectione præcursoria ad L. 19. ff. de jud. fu-  
 sus illustrare constituerit

NOBILISS ATQVE CLARISSIMVS  
 JURIVM CANDIDATVS

DOMINVS

FRIDERICVS ADOLPHVS  
 BESSER,

Natus est is d. 2. Octobr. 1726. Finsterwaldæ in oppido ditio-  
 nis Misnicæ. Patrem optimum ac virum præstantissimum  
 adhuc veneratur vivum CHRISTOFREDVM ERNESTVM BES-  
 SER J. U. Lic. quondam Causarum controversarum Patro-  
 num, nunc verò Civitatis Luccaviensis, quæ Urbs Lusatiæ  
 inferioris caput est, Syndicum meritissimum, Matrem autem  
 dilectissimam colit MARIAM ANNAM, filiam DANIELIS BODE-  
 ZII, qui, cum viveret, Augustissimæ Sarmatarum Reginae  
 Eberhardinæ rei culinariæ Præfectus vigilantissimus erat. Ho-  
 rum parentum prima ac maxima cura fuit, ut rationis usu  
 mox



mox illucente genuinis Christianæ fidei Principiis artibus-  
que liberalibus domi, præeuntibus M. LEHMANNO, modo Ec-  
clesiæ Altdorberianæ pastore, & M. RICHTERO, apud Lub-  
benensē Con-Rectore, funditus initiaretur. Quo felici cum  
successu peracto, lyceum, quod Luccaviæ floret, sub præclara  
directione M. THILII Rectoris b. m. & M. DRESIGII Con-R-  
ctoris, nunc lycei Lubbenensē Rectoris, per quinquennium  
salutavit, post quod ex clementia & munificentia Sereniss &  
Augustiss. Poloniarum Regis Misenam in Scholam Provin-  
ciam aleggatus, ac in numerum Alumnorum Afranorum  
civis MDCC XLIII. receptus, per quatuor annos sub maxime  
vigilanti cura ac fidelissima manu ductione Virorum clariss.  
M. GRABNERI Rectoris, nunc pie defuncti, M. HOERII Con-  
Rectoris, M. WEISII, M. KAVDERBACHII & M. KLIMMII scien-  
tiarum humaniorum fundamenta magis magisque excoluit,  
ut his studiis elegantioribus sufficienter instructus, habita prius  
oratione publica, Afræ 1747. rursus valedixerit, & ad alti-  
ora capeffenda Lipsiam, quæ Procerum sapientiâ floret, adie-  
rit, ubi die 8. Junii civis MDCC XLVII. albo Civium Academi-  
corum adscriptus est, sceptrâ Academicâ tenente Magnifico  
ac Excellentissimo WINCKLERO, & cum è re sua esse duceret,  
ut Jurisprudentiæ fundamenta hausturus, philosophicâ non  
negligeret, hinc prælaudati WINCKLERI scholas philosophi-  
cas atque ERNESTVM antiquitates illustrantem eum sperato  
fructu adit, latissimum autem Jurisprudentiæ campum per  
triennium & semestre spatium in celeberrimorum & consul-  
tissimorum virorum ac Professorum scholis emensus est, cum  
ibidem in historia juris præeuntes habuerit HOMMELIUM &  
PAULI, Juris civilis fundamenta Theoretica & practica soli-  
dissime dilucidantes perceperit JOACHIMVM & RICHTERVM,  
jus Canonicum verò & Jus publicum doctissime illustrantem  
audiverit THOMASIVM, ac jus feudale & cambiale explican-  
tem frequentaverit SIGELIUM. Cumque sic auscultando &  
exercitando periciam juris se nactum esse credidisset, atque  
etiam summos in utroque jure honores capeffere in animo  
induxisset, ac eandem cathedram, quæ ante triginta annos  
Consultissimo ejus Parenti aperta est, conscendere elegisset,  
hinc

hinc perantiquam universitatem nostram accessit & honestam intentionem suam ordini nostro declarans ad rigorosum Candidatorum juris Examen reliquaque Specimina inauguralia admitti ea, qua decet modestia, petiit. Petitioni ut annueretur, Facultas nostra non dubitavit, adeoque non solum binos ex utroque jure explicandos textus eidem assignavit, sed etiam erudita resolutione textuum praelecta, in Examine Rigoroso ejusdem in scientia legitima profectus exploravit, & cum in eo ita se exhibuerit, ut expectationi nostrae satisfaceret, unanimi consensu eundem dignum esse statuit, ut ad ulteriora Specimina & ad ipsos petitos honores admittatur. Quamobrem futuro die Mercurii quae erit IX. Decembris Lectionem cursoriam in *L. 19. ff. de jud.* caque absoluta Disputationem inauguralem

DE  
DIVERSIS TRADITIONVM  
MODIS,  
EORVMQVE  
EFFECTIBVS

habebit. Quos Actus solennes in Collegio JCorum majori peragendos, ut Magnificus Universitatis nostrae Rector, nec non Academiae Proceres & Cives, praesentia sua splendidiore reddere non dedignentur, officiose ac amice rogantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. d. 6 Decembris A. O. R. MDCCL.



Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035

ULB Halle

3


006 771 165



VD 78







23

1750, 5<sup>a</sup>

FACULTATIS JURIDICÆ  
 DECANVS  
**CHRISTOPHORVS  
 SPITZ, JCVTS**  
 FACULTATIS JVDICIIQVE ELECTORALIS  
 ALIS ASSESSOR AC PROFESSOR PVBLI-  
 S NEC NON CIVITATIS CONSVL

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
 NNIS CHRISTOPHORI HERINGII,  
 ACAD. TYPOGR.

